

et aeris invenerint, cum incendio silvarum adusta tellus in summo venas iacentis liquefacta fudisset: ista tales inveniunt quales colunt. Ne illa quidem tam subtilis mihi quaestio **13** videtur quam Posidonio, utrum malleus in usu esse prius an **5** forcipes coeperint. Utraque invenit aliquis excitati ingenii, acuti, non magni nec elati, et quidquid aliud corpore incurvato et animo humum spectante quaerendum est. Sapiens facilis victu fuit. Quidni? cum hoc quoque saeculo esse quam expeditissimus cupiat. Quomodo, oro te, convenit ut et **14** **10** Diogenem mireris et Daedalum? Uter ex his sapiens tibi videtur? qui serram commentus est, an ille qui, cum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum e perula calicem <cum> hac obiurgatione sui: 'quamdiu homo stultus supervacuas sarcinas habui!', qui se complicuit **15** **15** in dolio et in eo cubitavit? Hodie utrum tandem sapientiore*m* putas qui invenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, qui euripos subito aquarum impetu implet aut siccatur et versatilia cenationum laquearia ita coagmentat ut subinde alia facies atque alia **20** succedat et totiens tecta quotiens fericula mutantur, an eum qui et aliis et sibi hoc monstrat, quam nihil nobis natura durum ac difficile imperaverit, posse nos habitare sine marmorario ac fabro, posse nos vestitos esse sine commercio sericorum, posse nos habere usibus nostris necessaria si contenti fuerimus iis quae terra posuit in summo? Quem si **25** audire humanum genus voluerit, tam supervacuum sciet sibi cocum esse quam militem.

Illi sapientes fuerunt aut certe sapientibus similes quibus **16**